

sophari necesse est, et istud ferre necessarium erit, saltem in hoc vos ipsum reddatis michi quasi praesentem, ut per hunc latorem aut Terentium aut adnotationes in Genesim caeterosque eptatici libros, prophetias et psalmos aut super sacrosancta evangelia sive super sacros canones¹, et rescribite ad omnia eo tenore, ut quicquid licet compendiose, tamen perperam dixi, placeat vobis fortius figere stilum. Intimatote etiam, qui sint illi eunuchi, quos, ut sanctus Hieronimus in expositione Mathei evangelistae dicit², faciunt deliciae matronarum, et quae sint primae definitiones canonum, quae secundae, quive sint psalmi plebei, quos prohibent canones recitari in ecclesia, et qualiter cantetur apud vestrates in responsorio 'Domine pater', et animo vel animae irreverenti et infrunito, aut infronito, sive infrodito, antepenul³timo acuto secundum doctrinam f. 22⁴. Iohannis Scotti. Quando nunc fui ad palatium Compendium, dixit michi Manno ex nostri consultu, quid esset mechani, unde mechanica⁵ ars, sed excidit a memoria. Precor igitur, ut rescribatis cum ea proprietate⁶, quae sit, et quae sit vis mechanicae, et quid differant mechanica et mathesis.

Ceterum mitto quae iussistis, et precor multum, ut in quibusque expedire videritis, placeat, ut corrigatis. Si quid autem defuerit, ut potero illum adire, quem scitis, habere forsitan potero. Mitto etiam penulas adnotationum a Tetberto nobis carissimo commodatas eique per vos reddendas, recepto a vobis manu ad manum nostro libello. Mitto et brevicellos, quos praefato Teutberto iampridem dirigere volui, et precor ut legatis, et, si commodum duxeritis, illi dirigatis. Illa vero, in quibus eum consulebam, potius per vos cupio rescire. Nostras praeterea litteras L. episcopo mittere operae precium non duxi, non enim alium michi talem invenire potero brevem, sicut vestrum, in mei commendatione sermonem. Isaac vero episcopo quales iussi facere herno, tales per vestram dignationem litteras mitto, et confido, quia super id, quod dico, de omnibus facietis et me litteris vestris eo, quo dixistis, tempore visitabitis, eoque vos tempore praestolabor comite vita. VALETE, vivite et gaudete in Domino ad vota nostra et in⁷ saecula, et meminisse vobis placeat Amandi adolescentis, quem quod propriis verbis vestrae magnitudini non commendavi, oblitio fuit in causa.

Quodsi alicui episcoporum obicitur a plebe, quod non sua electione, sed regis et principum voluntate adeptus sit episcopalem cathedram⁸ ideoque non per ostium intrasse, et expectare clerum et populum, ut si occasionem fuerint consecuti,

1) Hier scheint ein Zeitwort zu fehlen. 2) L. III c. 19 (Opp. ed. Vallarsius VII, 1, 146). 3) 'mechania' Hs. 4) 'cum ea proprietate' etwas verwischt. 5) 'et in et in' Hs. 6) 'cathedram' Hs.